

minationem objecti per præsentiam æternitatis, ut tales rationes rerum ad talia objecta determinentur.

8. Ratione declaratur conclusio, primo, quia juxta veriore sententiam, ideæ, prout in Deo sunt, non concurrunt ad cognitionem creaturarum per modum objecti proximi, sed per modum actus intellectualis, quo intentionaliter repræsentantur creaturæ ipsæ, ut in citato loco Metaphysicæ generaliter ostendi. Quare Cajetanus in suo fundamento falsum principium sumit. Secundo, quia ideæ ex se et ex natura sua, id est, quatenus habent necessariam repræsentationem, non repræsentant futura contingentia, ut recte dixit Scotus; alioqui illa futura simpliciter essent necessaria, quia haberent connexionem cum aliquo, quod ex necessitate simpliciter convenit Deo, scilicet cum ideis; ergo ideæ non necessario, sed libere determinantur ad repræsentanda hæc futura; ergo ratio hujus determinationis non potest ex ipsis ideis sumi, quia in eis ut sic non est libertas. Et hæc est fere tota vis argumentorum Scoti. Quam Cajetanus revera non solvit, sed fere totum quod probatur admittit. Ait tamen, posita determinatione libera divinæ voluntatis, statim ideas determinari ad repræsentanda futura, quæ jam futura sunt ex vi determinationis voluntatis. Sed imprimis nunquam D. Thomas hanc docuit radicem cognoscendi in Deo futura contingentia. Unde quoad hoc coincidit Cajetanus cum opinione Scoti infra tractanda, et patitur difficultates omnes quas contra illam objiciemus. Deinde, si ad determinationem divinæ voluntatis recurrere oportet, non est necesse aliud objectivum medium excogitare. Nam determinatio divinæ voluntatis non cognoscitur in ideis, sed in ipsa; et illa cognita determinabitur scientia Dei ad cognoscenda futura; et eodem modo determinabuntur ideæ, potius quam ipsa idea sit ratio talis determinationis. Addo, etiam si concipiatur idea per modum imaginis objectivæ, et seclusa judicii determinatione, vix concipi posse quod ex sola voluntate, quæ secundum rationem extrinseca est, determinetur idea, ut est imago, ad hoc potius quam ad illud repræsentandum; quia hoc non aliter fieri potest quam cognoscendo talem voluntatem, et consequenter cognoscendo ex illa hoc potius quam illud futurum. Hæc ergo sententia difficultatem et obscuritatem habet, et non declarat aliud medium divinæ hujus cognitionis, præter divinam voluntatem, de qua statim.

CAPUT V.

DEUM NON COGNOSCERE HÆC FUTURA IN SOLA SUÆ SCIENTIÆ EFFICACITATE.

1. *Explicatur sententia affirmans.*—Invenio quosdam novos Theologos, asserentes Deum, sua scientia et efficacia ejus, ut antecedit voluntatem Dei, determinare et efficere ut ex effectibus contingentibus contradictoriis hoc potius quam illud futurum sit, et hoc modo atque hac ratione cognoscere illud quod futurum est, quia facit ut illud futurum sit. Ita docuit Palat., in 1, distinct. 38, quæst. 2, disput. 2, dub. penult. ubi distincte explicat se loqui de scientia visionis ut sic, et vehementer impugnat opinionem Scoti, dicentis voluntatem divinam determinare divinam scientiam ad judicandum hoc esse futurum, potius quam illud. Et ratio ejus non fundatur specialiter in voluntate, sed quia generaliter putat esse gravem errorem ponere aliquid extra divinam scientiam, determinans illam, quasi ipsa in se indifferens sit, et indigeat determinante, sive hoc sit voluntas Dei, sive objectum ipsum ut futurum. Unde eodem modo damnat erroris, dicere, scientiam Dei determinari a rebus ipsis, quia indifferentia (inquit) nulla est apud Deum, qui omnia limpissime novit, et actui purissimo omnis indifferentia repugnat.

2. *Illius opinionis fundamentum.*—Fundatur præcipue hac ratione, quia divina scientia est causa futurorum; ergo ex se et ex vi suæ causalitatis scit illa. Antecedens colligit primo ex variis locis Augustini, dicentis res futuras esse, quia Deus scit illas, non e converso. Ita loquitur lib. 6 de Trinit., cap. 40, et lib. 15, cap. 13, et lib. 5 de Civit., cap. 9. Eumque imitatur Gregorius, 20 Moral., cap. 24; sentit etiam D. Thomas, 1 part., quæst. 14, artic. 8, ad 1, et artic. 13 ad 1; et Albertus, 3, distinct. 38, artic. 3, et multi moderni Theologi ita loquuntur. Quia res futuræ non possunt esse causa scientiæ divinæ, cum hæc sit æterna et supra omnem causam; ergo scientia ipsa est causa ob quam res sunt futuræ; quia necesse est ut sit aliquis ordo causalitatis inter illa duo. Confirmatur primo, quia divina scientia est causa præsentium; ergo et futurorum, quia eandem causalitatem semper habet. Antecedens probat ex Alberto, libro de Processione universitatis, tract.

1, dicente scientiam Dei esse quæ dat formam rebus, non voluntatem. Confirmatur secundo, quia divina scientia æterna est, et antecedit omnia; ergo a rebus non pendet, neque a moribus, sive bonis, sive malis, neque ab eis determinatur; sed propria essentia omnia novit, et quia novit, erunt.

3. *Judicium fertur de prædicta sententia.*

—Hæc sententia est sine dubio falsa, et utitur locutionibus valde æquivocis, quæ, si in eo sensu assumantur, qui ad confirmandam prædictam sententiam aliquid conferre valeant, multa continent et nostræ et divinæ libertati repugnantia. Ostendo singula. Primum, ut ab ejus fundamento incipiam, cum enim ait nullam ponendam esse in Deo indifferentiam, sed repugnare hanc puro actui, aut tollit liberam voluntatem, aut omnino extra propositum loquitur. Aut per indifferentiam intelligit potentiam passivam ad plures actus, aut ad plures modos reales et intrinsecos; et hoc modo verissimum est in Deo non esse indifferentiam, et, ut existimo, prorsus repugnat puro actui; quamvis ex aliquorum sententia id non sit erroneum, ut ab illo auctore asseritur. Nam Cajetanus et alii ponunt voluntatem Dei indifferentem ad modos illos positivos et reales. Mihi tamen Cajetani sententia omnino displicet, ut alibi late tractavi. Verumtamen hic sensus omnino impertinens est ad præsens, quia scientia Dei respectu futurorum non dicitur indifferens hoc modo, sed solum quia ex se et intrinseca natura sua non est determinata ad judicandum hoc esse futurum, potius quam illud. Alio etiam sensu dici potest, in scientia Dei non esse indifferentiam, scilicet in aliqua duratione reali. Et hic sensus verissimus est, sed non est etiam ad rem; quia nemo negat Deum ab æterno determinate judicasse de omnibus objectis an futura sint, necne, et hoc sensu scientiam Dei semper esse ad aliquam partem determinatam; sicut voluntas Dei ab æterno determinata est, quamvis libere; cum hoc tamen verissimum etiam est, Deum in ipsa æternitate sua ex se, seu nostro modo intelligendi, prius ratione esse indifferentem, tam in voluntate ad volendum extra seipsum, quam in scientia ut determinabili ad futura contingentia repræsentanda, ita ut de unoquoque judicet quod futurum est, et non aliud.

4. Aut ergo prædicta sententia negat in Deo indifferentiam etiam hoc ultimo modo, vel non; si non negat, male reprehendit alios

auctores, et falso errorem illis imponit, et nihil conficit suo discursu; imo impossibilia sunt quæ dicit, ut ostendam. Si autem hoc etiam genus indifferentiæ Deo negat, gravissime errat. Primo, quia alias non esset in Deo libertas, quæ sine hujusmodi saltem indifferentia intelligi non potest. Ex quo exemplo intelligitur talem indifferentiam non dicere imperfectionem, neque repugnare puro actui, quia non est per modum potentiæ passivæ, sed per modum cujusdam eminentissimæ perfectionis, quæ seipsa, sine ulla mutatione, vel additione reali potest attingere hoc vel illud objectum pro suo arbitrio, vel capacitate objecti. Et hanc doctrinam eleganter significavit Hugo Victor., lib. 1 de Sacramentis, part. 2, cap. 16, dicens: *Si futura non essent, in Deo præscientia non esset, sed ea hoc nihilominus in Deo fuisset, quia ipsa, quæ præscientia est, in Deo fuisset.* Ac si diceret, integra maneret scientia, nullaque res vel modus realis illi defuisset, non tamen haberet habitudinem rationis, seu determinationem talis objecti ut futuri.

5. Secundo, quia, si in scientia Dei respectu futurorum contingentium non est saltem hæc indifferentia, ergo divina scientia natura sua et ab intrinseco est ita determinata ad scienda illa futura contingentia quæ nunc scit, sicut est determinata ad sciendum ipsum Deum vel possibilia; consequens est falsum; ergo. Sequela patet, quia indifferentia et determinatio sunt immediate opposita, et nihil aliud est esse indifferentem, quam non esse determinatam; si ergo ex se non est indifferens, erit ex se determinata. Falsitas consequentis patet, quia talis determinatio non ponitur ex aliqua suppositione, sed ex natura talis scientiæ; quidquid autem convenit illi scientiæ ex intrinseca natura, simpliciter necessario convenit, ita ut contradictionem implicet non convenire; ergo fuit simpliciter impossibile Deum non scire Petrum peccaturum, vel mundum esse futurum; hic vero est manifestus error; quia, absolute loquendo, potuit mundus non esse, et Petrus non peccare; ergo absolute potuit etiam Deus non scire illa esse futura. Quapropter ponere talem determinationem in scientia Dei ex natura sua, plane est tollere libertatem, tam in Deo, quam in nobis: quia, cum illa scientia dicatur esse simpliciter necessaria, aut supponit necessitatem in objecto simpliciter, aut facit illam, ut possit esse simul ab intrinseco infallibilis.

6. *Occurritur cuidam solutioni.*—Nec ve-

ro juxta oppositam sententiam dici potest talem determinationem in illa scientia non esse ex necessitate simpliciter, sed ex aliqua suppositione; tum quia hinc necessario consequitur esse indifferentem modo explicato, quod negatum erat; tum etiam quia statim inquiram quæ sit illa suppositio. Oportet ergo ut sit aliquid distinctum a scientia, re, vel ratione; ergo erit aut objectum ipsum, seu res scita, aut aliqua causa ejus creata, vel voluntas Dei; omnia autem hæc excludit et negat prædicta sententia; ergo plane ponit determinationem simpliciter et necessariam in scientia ipsa, quod sine dubio nulla ratione sustineri potest.

Scientia Dei, ut efficax, non est sufficiens ratio futura cognoscendi.

7. Dico ergo scientiam divinam, per seipsam, et ex vi causalitatis suæ, non posse esse sufficientem rationem ob quam determinetur ad hoc objectum, seu ad judicandum hoc esse futurum, potius quam illud. Probatum primo, quia scientia visionis, ut sic, non est causa futurorum contingentium quæ per illam sciuntur, quæ est expressa sententia D. Thomæ, quæst. 6 de Veritat., artic. 3, ubi ait, præscientiam Dei non importare habitudinem causæ universaliter, et ideo certitudinem ejus tantum esse certitudinem cognitionis; prædestinationem vero addere habitudinem et certitudinem causæ. Atque ad hoc confirmandum valent testimonia Patrum, dicentium futura non esse futura quia præsciuntur, sed potius præsciri quia futura sunt; quos ex parte retuli in 1 libro de Auxiliis, cap. 13, num. 15 et 16. Et videri etiam potest Hieronymus, Isai. 46. Et maxime vulgaris est locus Origenis, lib. 7 super Epistol. ad Roman., juxta illa verba: *Quos vocavit, hos et justificavit*, dicentis: *Non ideo aliquid erit quia Deus scit, sed quia futurum est, scitur a Deo antequam fiat*. Hoc tamen testimonium exponens D. Thomas, 1 part., quæst. 23, artic. 8, ad 4, ait intelligendum esse secundum vim illationis seu conditionalis propositionis, quia si futurum est, scitur a Deo, non vero in ratione causalis. Et eodem modo exponit Albertus in 1, distinct. 28, artic. 3. Sed imprimis repugnat vis verborum cum causali nota, quæ plus indicat quam illationem, ut ex Dialectica constat. Deinde obstat illa contrapositio, seu comparatio inter has duas propositiones: Quia Deus scit futurum, ideo futurum est; vel,

e converso: Quia futurum est, ideo scitur a Deo; ergo particula *quia*, in eadem significatione sumitur in utraque, neque enim est verisimile æquivocationem commissam esse; si autem sumeretur in vi tantum consequentiæ et conditionalis, utrumque affirmandum esset; nam, si Deus scit aliquid futurum, sine dubio erit; et e contrario, si futurum est, etiam Deus scit illud; at vero Origenes et Patres alii unam partem affirmant, et alteram negant; ergo non utuntur sola vi consequentiæ et conditionis, sed aliquid amplius volunt. Præterea Augustinus, 5 de Civitat., capite decimo, specialiter negat hanc causalem: *Quia Deus scit Petrum peccaturum, ille peccabit*, ne faciat Deum auctorem peccati. Quod etiam affirmat Cyrillus, lib. 9 in Joan., capite 10, et Leo Papa, sermon. 16 de Nativit., et alii multi; ergo non loquuntur de sola illatione, sed de causalitate; nam etiam in peccatis bona est illatio: *Si Deus scit Petrum peccaturum, peccabit*. Et hoc exemplo sufficienter posset improbari illa sententia; nam Deus non ideo scit Petrum peccaturum, quia per suam scientiam determinet illum ad peccandum, ut constat ex his Patribus, et ex omnibus quæ de hac re diximus, lib. 2 de Auxiliis; nam quoad hoc, eadem est ratio de scientia quæ de voluntate, vel quolibet alio principio; nam omni modo repugnat Deo determinare hominem ad peccatum. Ergo non potest illa esse generalis ratio præsciendi futura. Imo etiam colligi potest nunquam esse, quia, quoad hoc, eadem est ratio de quolibet alio actu quæ de peccaminoso; quod sensit eodem loco Augustinus, subdens: Si peccare noluerit, hoc omnino ille præscivit; sicut ergo si homo peccaturus est, hoc supponitur ut Deus illud sciat, ita etiam si peccaturus non est. Hinc denique colligunt Patres, ut infra capite ultimo ostendemus, hanc scientiam non imponere necessitatem rebus, quia non est causa, sed pura intuitio, quod significavit Concilium Valent., sub Lothario, cap. 2, dicens, nec prorsus ulli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, ut aliud esse non possit; sed quod ille facturus erat ex propria voluntate, ille, sicuti Deus, qui novit omnia antequam fiant, præscit ex sua potentia et incommutabili majestate. Et hæc est ratio a priori hujus veritatis, nam scientia visionis, seu futurorum ut sic, est mere speculativa, et non practica; omnis autem scientia speculativa supponit objectum suum, quia quatenus talis est, non est factiva ejus, ut ex Metaphysica constat; imo omnis

cognitio, quatenus cognitio est, supponit objectum cognoscibile, ut recte sensit Augustinus, 4 Gen. ad litteram, cap. 32. Unde etiam scientia practica, quæ ut sic est causa sui objecti, quatenus cognitio est supponit objectum esse factibile, et nondum cognoscit factum; cognitio autem qua artifex cognoscit effectum, ut a se factum, nunquam est causa objecti, quia supponit illud jam causatum. Ita ergo est in Deo supremo artifice; non enim operatur res formaliter per eam scientiam per quam scit eas esse factas, quia talis scientia supponit effectum talium rerum, juxta illud Genes. 1: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona*; sed hæc scientia, qua Deus cognoscit futurum contingens, est illa qua videt rem ut existentem pro suo tempore; ergo illa ut sic non est causa sui objecti; ergo non potest esse hæc scientia propria ratio determinationis rei futuræ.

8. Secundo, argumentor ulterius, quia, quamvis daremus illam scientiam esse causam, tamen, quantum est ex parte Dei, deberet esse causa libera et indifferens, cum causetur extra Deum; ergo determinanda illa esset ad causandum hoc potius quam illud, et determinaretur ad judicandum hoc potius quam illud; sed non potest ipsa seipsam determinare, quia scientia non est formaliter libera; deberet ergo determinari per priorem voluntatem; ergo impossibile est ut scientia sola per seipsam sit prima radix hujus determinationis; ergo vel recurrendum est ad voluntatem divinam, quod prædictus auctor negat, de quo infra dicam, quantum ad rem spectat; ille vero non consequenter loquitur, cum causalitas scientiæ esse non possit nisi per applicationem voluntatis, propter quam rationem potentia executiva Dei non potest esse prima radix hujus determinationis, quia debet per voluntatem determinari. Vel denique si voluntas excludatur ex parte objecti seu rei scitæ, quærenda est determinatio, ut postea concludemus.

9. *Solvuntur fundamenta prioris sententiæ.* — Ad fundamentum alterius sententiæ, respondetur jam satis constare ex dictis, quid Patres in hac re sentiant, inter quos etiam Augustinum adduximus; cum ergo in aliis locis affirmet res esse futuras, quia Deus scit illas, non loquitur de scientia visionis ut sic, sed de scientia practica, quæ scientia approbationis vocari solet, quæ secundum se præcedit ordine rationis decretum voluntatis, quo

Deus vult rem futuram esse, vel permittere; per voluntatem autem determinatur ad hoc vel illud faciendum, et sic approbationis dicitur; et ideo Augustinus, lib. quinto de Civitat., cap. nono, semper cum scientia voluntatem adjungit: sic enim habet in fine cap.: *Quapropter et voluntates nostræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit atque præscivit*, præscientia scilicet, qua cognoscit proprietatem rei et valorem ejus: de eadem ergo intelligenda sunt cætera quæ subdit. Et eodem modo ait libris de Trinit.: *Ideo sunt, quia novit; non enim nescivit quæ fuerat creaturus*; loquitur ergo de scientia quæ antecedit, et qua Deus est potens ad creandum; de eadem ergo subdit: *Quia scivit, creavit*, adjuncta scilicet voluntate; scientia autem visionis subsequitur secundum rationem post decretum voluntatis, et ideo hæc scientia ut sic non potest esse causa. Et eodem modo intelligendus est D. Thomas, 1 part., quæst. 14, art. 13, ad 1. Quando vero negat Augustinus Deum cognoscere rem futuram, quia futura est, intendit præcipue Dei scientiam non pendere ex præsentia seu existentia rei; unde non ait de futuro, sed de præsentia: Non quia sunt, ideo novit; et subjungit: Neque aliter scivit creata quam creanda. Et eodem modo loquitur Gregorius. Adde quod in ordine ad eandem scientiam approbationis, a fortiori est vera illa negatio. Denique aliqui scholastici ita loquuntur, ne significare videantur objectum illud habere propriam causalitatem circa Dei scientiam, aut Deum accipere scientiam a rebus, cum per sese omnia sciat; quam puto fuisse mentem D. Thomæ. Non tamen negant necessarium ordinem præsuppositionis, quo necessarium est hoc esse futurum, ut scientia visionis præsciri possit. Quod significant alii Patres, cum illa causali locutione utuntur.

10. Ad primam confirmationem, respondetur per eandem scientiam Deum causare præsentia, per quam causat futura; neutra autem causat per scientiam visionis ut sic. Neque Albertus loquitur de scientia visionis, sed de scientia absolute. Ad secundam confirmationem, in qua absurdum esse reputat scientiam Dei determinari ex rebus, respondetur: si intelligat de determinatione formali intrinseca et reali, quæ in Deo sit, vere est absurdum; sed a nemine hoc dicitur: si vero de objectiva determinatione tanquam conditione necessaria, ut in divina scientia futurum representetur, id non solum non est absurdum,

dum, sed omnino necessarium, ut scientia supponat objectum scibile.

CAPUT VI.

EX DECRETO ÆTERNO DIVINÆ VOLUNTATIS NON SUMI SUFFICIENTEM RATIONEM HUIUS SCIENTIÆ.

1. *Sententia affirmans explicatur.* — Est multorum Theologorum opinio, Deum præcognoscere contingentia futura in decreto voluntatis suæ; ita Richard., 1, distinct. 38, art. 1, quæst. 5; et Scot., distinct. 39, quæst. unica, § *Viso de contingent.*, etc., et in Quodlibetis, quæst. 14. Et in re idem sentit Cajetanus, 1 part., quæst. 14, art. 13, ut cap. 5 attingi, et multi ex modernis Thomistis idem sentiunt. Favet etiam Alexander Alens., 1 p., quæst. 24, membr. 7, dicens præscientiam dicere ordinem ad præordinationem. Inclinat etiam Durandus in 1, dist. 38, dicens, Deum cognoscere hæc futura in se, et in causa eorum. Est autem diversitas inter hos auctores, quia Richardus solum ait cognoscere Deum hæc futura in sua voluntate, tanquam in causa infallibili, simplicissimo quidem modo, et absque discursu ex parte cognoscentis, virtuali tamen discursu incluso in objecto, hoc scilicet: Quidquid Deus vult, erit; hoc Deus vult; ergo hoc erit. Scotus vero addit alium modum cognitionis præter hunc, scilicet, quia posito decreto illo divinæ voluntatis, statim incipit esse determinate vera illa propositio: *Hoc erit*, quæ ante illud decretum non erat determinate vera; et ideo jam Deus illam cognoscit, non tantum in voluntate sua, sed etiam intuendo in seipsa veritatem illam.

2. *Quo fundamento nitatur.* — Fundamentum hujus sententiæ est, quia, si hoc decretum est in Deo, sine dubio est sufficiens principium ad cognoscenda hæc futura, propter efficaciam divinæ voluntatis; sed hæc voluntas est in Deo, ut isti auctores late probant; et summa omnium rationum est, quia Deus omnia immediate operatur per voluntatem suam, vel solam, vel cum causis secundis; ergo et dirigit omnia in fines a se intentos et prædefinitos, quod pertinet ad perfectam et efficacem providentiam; et operatur omnia per efficacem voluntatem, qua vult illa esse antequam sint futura, et consequenter prius etiam quam præsciat illa esse futura; ergo ad omnia quæ in tempore fiunt, antecedit volun-

tas efficax Dei, ut intendens et exequens, non solum antecessione æternitatis, sed etiam ante præscientiam secundum rationem. Quod breviter explicatur et confirmatur; quia, licet res non sit futura quia sit præscita a Deo, sed potius e contra ideo est præscita a Deo quia futura est, tamen ideo est futura, quia Deus voluit illam fore: nam *operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*; ergo de primo ad ultimum, voluntas Dei antecedit præscientiam, et consequenter voluntas est sufficiens ratio talis scientiæ.

3. *Duplex voluntas Dei circa actum liberum hominis.* — Hæc sententia, ita generatim proposita, mihi non probatur. Ut autem rationem explicem, suppono duplicem voluntatem posse intelligi ab æterno in Deo circa actum liberum creaturæ, prius ratione quam intelligatur esse absolute futurum. Una est circa actum ipsum absolute et secundum se, qua scilicet vult illum actum esse; alia est circa concursum suum ad talem actum. Prior voluntas interdum est inefficax, seu simplex tantum affectus, de qua hic non est sermo quia certum est ex illa non inferri infallibiliter futurum esse effectum, quia hæc solum est voluntas antecedens, quæ non semper impletur. Debet ergo esse voluntas efficax, et ita absoluta, quæ nullam includat conditionem, quæ ex vi et efficacitate ejus poni non possit. Et hæc dici solet prædefinitio vel prædeterminatio, quia non solum ex æternitate præcedit temporalem determinationem ipsius voluntatis, sed etiam ordine rationis antecedit præscientiam ejus, et in ratione etiam causæ antecedit. De qua prædefinitione magna quæstio est, an Deus illam habeat circa actus liberos, vel repugnet libertati. Ego vero, ex his quæ late tradidi in præcedenti opere, suppono prædefinitionem hanc, si solum sit per modum interni propositi, et absolute intentionis voluntatis Dei, non repugnare cum libertate nostrarum actionum, ideoque esse in Deo circa actus bonos, præsertim supernaturales; circa actus autem prævios, haberi non posse propter malitiam eorum. Si autem talis præfinitio sit etiam prædeterminatio ad extra voluntatis creatæ, per se prædeterminans illam physice et efficaciter ad opus, sic credimus repugnare libertati, ut dicto loco late ostendimus. Posterior autem voluntas concurrenti ad actum, in universum necessaria est ad omnem actum, tam bonum quam malum, quatenus actus est, quia nullus esse potest sine concursu Dei, et Deus non

præbet concursus suum nisi volendo, nec incipit hoc velle in tempore, sed ex æternitate, et necesse est ut prius ratione hoc velit, quam præsciat absolute effectum esse futurum, cum non possit esse futurus nisi ex concursu ejus. Ac denique necesse est ut velit in particulari concurrere ad hunc vel illum actum, hic et nunc, et non tantum confuse ad actus voluntatis, quia alias Deus confuse et imperfecte operaretur, nec haberet distinctam providentiam singulorum effectuum; quod erroneum est. Unde in hoc non potest esse inter Catholicos controversia, nec memini me legisse vel audisse aliquem in hoc dissentientem, aut in eo constituentem hujus disputationis difficultatem; sed in hoc solum, an hæc voluntas concurrenti, quantumvis distincta et in particulari, sit sufficiens ratio cognoscendi effectum esse futurum.

Actus prædefiniti certo cognoscuntur in prædefinitione.

4. *Assertio prima.* — His positis, dico primo: actus liberi boni prædefiniti a Deo, supposita tali prædefinitione, evidenter cognoscuntur futuri in illa, et ex vi illius; illa tamen prædefinitio non potest esse prima ratio cognoscendi futura libera, sed necessario aliam supponit seu includit. Prima pars conclusionis certissima est, quia non stat aliquid esse sic prædefinitum a Deo, et non fieri, alioqui voluntas Dei non esset efficax, neque omnipotens. Et hoc sensu dixit Hilarius, lib. 9 de Trinitate: *Quæ Deus facere decrevit, in sua voluntate cognovit.*

5. *Obiectio.* — Obijciunt vero quidam, quia æternum decretum divinæ voluntatis solum addit respectum rationis ipsi divinæ voluntati, qui respectus rationis intelligitur resultare in Deo, eo quod res sit futura, sicut resultat relatio ex positione termini; ergo non potest in decreto ipso cognosci quod res sit futura, sed potius cognoscendo rem esse futuram, et cognoscendo voluntatem Dei, cognoscetur in ea esse tale decretum, sicut, cognito fundamento et termino, cognoscitur relatio. Et confirmatur, quia Deus non potest intueri in se illum respectum rationis; solus enim intellectus creatus illum confingit, dum imperfecte rem concipit; et ideo solum est objective in intellectu creato abstractivè cognoscente. Sed hæc rationes supponunt quidem illam difficultatem nunquam satis explicatam, quid, scilicet, sit complete,

seu quid addat hoc decretum in Deo; tamen in præsentem nullam novam difficultatem ingerunt. Nam posterior ratio, ut ab illa incipiamus, vel probat Deum non cognoscere suum decretum liberum in seipso, et prout in se est, quod sine errore dici non potest; vel nihil probat. Probatur, quia, si respectus ille rationis ita dicitur addi per hoc decretum, ut sit de intrinseca ratione ejus, et sine illo cognosci non possit, et alioqui negatur Deum intueri respectum illum, aut habere illum objective in suo intellectu, plane sequitur Deum non intueri vel cognoscere suum decretum, quia non cognoscit respectum, qui est de ratione ejus. Si autem ille respectus vere non est de intrinseca ratione talis decreti, ut revera non est, ideoque cognosci potest illud decretum prout in se est, non formando neque fingendo talem respectum, ut revera potest, et Deus ipse illud cognoscit, et fortasse etiam Beati, plane sequitur, ad cognoscendum decretum, formaliter loquendo, non esse necessarium cognoscere terminum illius respectus ut sic, et consequenter prius ratione posse cognosci decretum illud, et in illo ut in causa posse cognosci rem esse futuram; per quod etiam facile respondetur ad priorem rationem, quæ si aliquid valeret, etiam probaret non esse rem futuram ex decreto, sed potius, ex eo quod res futura est, esse in Deo decretum; quod omnino falsum est. Et sequela patet, quia, ex eo quod res est futura, dicitur in Deo resultare respectus per quem formaliter et complete constituitur decretum. Falsum ergo est hoc, quod supponitur tanquam fundamentum illius rationis. Nam, cum respectus ille revera non sit in Deo, sed fingatur ab intellectu, quod extrinsecum est et accidentarium, et decretum vere et intrinsece sit in Deo, non potest ille respectus intrinsece constituere ipsum decretum; et ideo, licet, ad fingendum respectum, necessarium sit præcognoscere terminum, non vero ad cognoscendum ipsum decretum. Unde, cum dicitur decretum liberum non addere Deo nisi respectum rationis, non ideo dicitur ut affirmetur talis respectus esse de intrinseca ratione decreti, sed solum ut negetur hoc decretum addere Deo rem, aut modum realem quo Deus carere potuisset; ideoque si quid concipitur a nobis tanquam additum, solum esse respectum rationis. Nihil ergo obstat illa ratio, quominus actus prædefinitus cognoscatur esse futurus in decreto, quo prædefinitur, tanquam